



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90117999**

§. 44. Concilium Londinense.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

ram Charitatem illam esse, qua proximi nostri commodum pariter ac nostrum quærimus; *secus enim*, ait, *Bonum propter nos non vero propter se ipsum exoptamus.* Discernit mancipium, mercenarium & filium. *Mancipium*, inquit, *Deum cogitat, quia potentissimus est, eumque timet. Mercenarius cognoscit, Deum bonum esse, eumque tanquam sibi utilem amat. Filius quoque intelligit, Deum bonum esse, cumque amore puro, simplici, casto, & non proprii commodi causa diligit.*

Sæcul. XII.  
A.C. 1125.  
Op. VIII.  
c. 12. 13. &c.  
n. 34.

§. XLIV.

*Concilium Londinense.*

Honorius Papa in Angliam miserat Joannem Cremensem, Cardinalem Presbyterum titulo S. Chrysogoni, cum Legati potestatem, quam, a Callisto II. acceptam, Honorius II. confirmavit, censis Literis, decima tertia Aprilis datis, atque ejus auctoritate etiam in Scotiam extensa. Cum diu in Normannia retentus esset a Rege, tandem ipso permittente in Angliam transvehitur, & ab Ecclesiis honorifice excipitur. Tum consentiente Archiepiscopo Cantuariensi Concilium Londini in Festo Nativitatis Beatae Virginis celebrandum indixit. Erat vero tunc Archiepiscopus Cantuariensis Guilielmus Corboliensis, qui anno millesimo

to. 10. Conc.  
p. 912. &c.  
*Matth. Paris. 1123.*

Sæcul. XII.  
A.C. 1126.

limo centesimo vigesimo tertio, Rudolpho, vigesima Octobris, anno millesimo centesimo vigesimo secundo fati functo, successerat. Cum igitur Guilielmus, datis literis Episcopos convocasset, celebratum est Concilium Westmonasterii nona Septembris anno millesimo centesimo vigesimo quinto, præsidente Legato cum duobus Archiepiscopis, Guilielmo Cantuariensi, & Turstaino Eboracensi, Episcopi vero viginti & Abbatibus circiter quadraginta assistentibus. In eo Concilio conditi sunt Canones septendecim, quibus potissimum antiqua decreta confirmantur, præsertim contra Simoniam, contra incontinentiam Clericorum, Ordinationes sine Titulo, & plura Beneficia possidentes. Præcipitur, ut illi Beneficiis suis priventur, qui ideo ad Ordines promoveri altiores nolunt, ut majore vitæ licentia frui possint. Concilio soluto Legatus duos Archiepiscopos Turstainum Eboracensem & Guilielmum Cantuariensem Romam misit, causam coram Pontifice dicturos.

c. 1. 2. 3.

13. 8. 12.

c. 6.

§. XLV.

*S. Norbertus Archiepiscopus Magdeburgensis.*

*Bibl. Præmonstr. p. 391.*

Sub idem tempus S. Norbertus Romam profectus est, ab Honorio Papa petiturus, ut Institutum suum confirmaret, quod